



Disputatio juridica inauguralis de commodato

<https://hdl.handle.net/1874/340706>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMMODATO,

QUAM
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS van MUYDEN,

J.U.D., ejusdemque Facultatis in inclita Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Unanimi Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimeque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,
Et summis in **UTROQUE JURE** honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,
Eruditorum disquisitioni subjicit.

ANTHONIUS BLONDEL, Mediob. Zeland.

Ad diem 17. Octobris horis locoque solitus.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc LXXXVII.

Reverendis honestisque V I R I S,

D. JOHANNI BLONDEL,

Mercatori fidelissimo , Fratri meo unico
ad rogum usque venerando.

NEC NON,

D. HENRICO PLASSCHAART,

Librario Societatis Indiæ Orientalis ,
quæ est Medioburgi.

D. JOHANNI van SAVELPOEL,

Mercatori solertissimo , affinibus meis di-
lectissimis de me optime meritis.

*Hanc disputationem inauguralem eā ,
quā decet reverentia dico conse-
croque.*

ANTHONIUS BLONDEL,

A U C T.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
COMMODATO.
THESIS I.



Ommodatam accommodando quasi
commodo utens datum , sumitur vel
late pro eo quod alterius commodo quo-
quomodo inservit , quo sensu etiam mutu-
um complectitur arg. l. 2. in fin. Cod.
de his qui ex public. ration. &c. vel stricte,
cum res certo modo & fine gratis utenda
conceditur §. 2. Inst. quibus modis re con-
trah. oblig. quo sensu vel pro re commo-
data l. 3. §. 3. & l. 5. in prin. ff. b. t. atque ita commodatum dici-
tur accipi, reddi, custodiri, amitti, alienari. l. 3. §. 1. l. 5. §. 5.
& passim ff. b. t. vel pro contractu commodati. d. l. 5. §. 2. vers.
commodatum. & l. 17. in pr. ff. b. t. atque in hoc ultimo signi-
ficatu definitur hoc modo **COMMODATUM** est contractus
Juris Gentium, *bona fidei*, re constans, quo res aliqua vel *species*
gratis utenda datur, ealege, *ut eadem res in specie restituatur*, tem-
pestive sc. l. 17. §. b. tit.

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Audita definitione, videamus de personis, quæ commodare possunt, & quibus commodari, quæ res, quæ sit forma & quis effectus. Commodare possunt omnes, qui rerum suarum habent administrationem, quales sunt illi, qui contrahere & obligari possunt: neque refert an domini rei sint l. 8. ff. b. t. an tantum possessores, sive bonæ, sive malæ fidei l. 15. & seq. ff. b. t. l. 64. in princ. ff. de Judicij. sic etiam uxor potest commodare rem viri l. 24. §. 6. ff. solut. matrim. usufructuarius Jus suum, quod habet, recte alteri commodat §. 1. Inst. de usu & habitat. sic filii familias l. 9. ff. de oblig. & aet. servus ignorantे & invito domino l. 14. ff. b. t. & l. 36. ff. de conduct. indebiti servus hereditarius. l. 16. ff. de oblig. & aet. pupillus sine tutori, ut alium sibi obliget. princ. Inst. de aet. tutor. non tamen recte commodant usuari, arg. d. §. 1. Inst. de usu & habitat. neque conductores, multo minus qui ipsi rem commodato acceperunt; nisi commodantis vel nihil intersit, vel si ea lege qua rem commodato petuissent, eam nihilominus obtinuissent.

I I I.

Commodatum accipiunt omnes, qui possunt alias contrahere ut filii familias l. 3. §. 4. ff. b. t. l. 14. §. 10. ff. de furtis. servus. d. l. 3. §. 4. ff. b. t. l. 2. ff. de fidejuss. filiaf. & ancilla d. l. 3. §. 4. ff. b. t. l. 27. in princ. ff. de pecul. pupillus tamen & furiosus, si accipiant commodato, ex commodato non obligantur l. 1. §. ultim. l. 2. 3 in princ. ff. b. t. is etiam, qui liberum hominem possidet, potest ei commodare. l. 3. §. ultim. ff. b. t. non solumuni sed etiam pluribus potest commodari. l. 5. §. ultim. l. 6. 7. in princ. & §. 1. l. 21. §. 1. ff. b. t. quo casu quodammodo duo correi debendi videntur fieri. l. 9. in prin. ff. de duobus reis, ita ut alterius dolus alteri noceat. l. penult. ff. de duobus reis, & quisque eorum in solidum tenetur. §. 1. Inst. de duobus reis l. 2. 3. §. 1. ff. eod.

IV. Com-

I V.

Commodari possunt omnes res, tam mobiles, quam immobiles, corporales & incorporales *I. i. §. 1. ff. b. t.* (ubi per vocabulum habitationis non res corporalis, v. g. domus, ut quidam voluit. Sed incorporalis, nimirum servitus, denotatur, cum Ulpianus de ea loquatur per modum extensionis) arguit etiam illud. *I. 3. I. 15. §. 2. ff. de precar.* cum precarium commodato in multis simile sit, & si res incorporales precario concedi possint, ut appareat ex allegat. text. quid impedit, quo minus commodato dentur, cum æque, ut in precario, ita & h̄c usu transferatur? nihil refert, aliena res sit, quæ commodatur, an propria. *I. 15. & segg. ff. b. t.* non tamen recte commodantur res propriæ ipsis dominis. *I. 15. ff. depositi.* excluduntur etiam ab objecto commodati quantitates sive res, quæ usu consumuntur, quia tunc in mutuum incidit, nisi forte ad pompam vel dicis *gratiā*, id est, *simulate*, sine voluntate abutendi, tales res commodato dentur. *I. 3. §. fin. I. 4. ff. b. t.*

V.

Quod ad formam commodati attinet illa consistit (1) in eo, quod perficiatur ipsius rei datione, quia est re constans, §. 2. *Inst. quibus modis re contrah. oblig.* dare hic non est transferre dominium aut possessionem, sed simpliciter concedere usum. (2) ut ad certum usum detur, quem neque commodans, neque commodatarius excedere potest. Ille enim si ante *expletum* usum revocaverit, ad interesse tenetur. *I. 17. §. 3. ff. b. t.* hic aliter utens, furti obligatur §. 6. & 7. *Inst. de oblig. que ex delicto nasc.* scilicet quia invito domino rem contrectat, nisi forte iustam causam credendi habeat, se illud invito commodatore non facere *I. 76. ff. defurtis.* (3) ad formam commodati spectat, ut concessio sit gratuita, & ne merces vel alia res pro usu detur aut si hat merces enim interveniens facit ut non commodatum, sed locatio sit. §. 1. *Inst. quibus modis re contrah. oblig.* scilicet si consistat merces in-

6 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

numeratā pecuniā formæque locationis conveniat si quid aliud detur vel fiat, contractus innominatus erit *l. 17. §. 3. ff. de præscr. verb.*

V I.

Effectus commodati primus est, quod commodatarius uti possit re commodatā ita ut ipsi permisit commodator. *l. 1. §. 1. l. 21. §. 1. ff. b. t.* secundus effectus consistit in obligatione *§. 2. Inst. quibus modis re contrah. oblig.* id est, tenetur reddere eandem speciem sive idem corpus, quod accepit, idque non deterioratum, quod si tamen deterioratum sit, non intelligitur redditum, nisi id quod interest, præstetur *l. 3. §. 1. ff. b. t.* tertius effectus in eo consistit, utcunque ea possessio naturalis, quæ est nuda detentio, penes accipientem sit, cum ei res tradatur *l. 38. §. 1. ff. de usur. l. 2. §. 1. ff. pro hered.* tamen vere non possidet. *l. 9. ff. de R. V.* sed tum proprietas, tum possessio manet penes commodatorem. *l. 8. 9. ff. b. t. l. 2. §. 22. ff. de vi bonor. rapt.* quartus & præcipuus effectus est obligatio commodati mutua unde nascitur actio tum directa, tum contraria.

V I I.

Actio commodati directa est actio personalis, bonifidei, que datur commodanti adversus commodatarium, ut rem commodatam in specie restituat & præstet dolum & omnem culpam. Dicitur personalis, quia oritur ex contractu, bonifidei. *§. 28. Inst. de action.* quæ datur commodanti. Qualiscunque ille sit, sive fur, sive prædo nihil interest. *l. 1. in princ. l. 16. ff. b. t.* non enim hic persona commodantis, sed quale commodati beneficium & quid à commodatario actum promissumve sit, Respicitur. *l. 17. §. 3. ff. b. t.* & cum ex contractu sit, datur heredi, etiam filiof. *l. 9. ff. de oblig. & act.* additur *adversus commodatarium* quo verbo artis significatur is, qui commodatum accepit, etiam adversus ejus hæredes *l. 3. §. 3. l. 17. §. 2. ff. b. t. l. 3. Cod. b. t.* ita ut si plures sint hæredes, singuli pro hæreditariis partibus convenientur: nisi for-

te

te aliquis eorum rei restituendæ facultatem , habeat : qui quidem in solidum tenetur *l. 3. §. 3. ff. b. t.* quinimo & contra pu-
pillum datur hæc actio , sed utilis , si ex commodato factus sit
locupletior . *l. 1. §. ultim. l. 3. in prin. ff. b. t.* codemque modo
contra furiosum . *l. 2. ff. eod.* facit etiam *l. 46. ff. de oblig. & act.*
contra filiumf. etiam directa datur *l. 3. §. 4. ff. b. t.* contra servum
vero de peculio . *l. 27. ff. de pecul.* dicitur porro ut *Rem commo-*
datam restituat. petitur (1) hac actione principaliter ut res com-
modata reddatur *l. 3. §. 1. l. 5. in prin. §. 12. ff. b. t.* vel ut resti-
tuatur *l. 3. §. 3. l. 18. §. ultim. ff. b. t.* & quidem res illa ipsa , quæ
commodata est *§. 2. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. l. 1. §. 3. ff. de*
oblig. & act. si vero perierit ejus aestimatio . *l. 17. §. ultim. ff. b. t.*
(3) sequela Rei commodataæ etiam in hanc actionem venit *l. 5.*
§. 9. ff. b. t. l. 14. §. 15. ff. defurt. fructus percepti . *l. 38. §. 10. ff. de*
usur. multo ergo magis quæstus ex re commodata per ceptus
arg. *l. 13. §. 1. ff. b. t.* maximè cum quæstui faciendo res commo-
data non sit , additur ut *praeser dolum & omnem Culparam.* quod
ad dolum attinet , hoc adeo verum est , ut conventione dolus
præstetur non valeat , *l. 17. in prin. ff. b. t.* cum occasio delicti pacto
acquiri non possit . *l. 27. §. 3. ff. de pacb. l. 1. §. 7. ff. de positi.* dici-
tur porro *omnemculpam* etiam levissimam *l. 5. §. 2. l. 18. ff. b.*
t. l. 1. §. 4. ff. de oblig. & act. excipitur tamen (1) si res commo-
data tantum dantis utilitatem contineat tum tantum lata culpa præ-
statur *l. 5. §. 10. ff. b. t.* (2) si quis ultro ad commodatum se
obtulerit *d. l. 5. §. 10. infin. eod.* (3) quando utriusque versatur
utilitas , tum culpa levis præstatur . *l. 18. ff. b. t.* (4) si conve-
nerit , ne levis aut levissima culpa præstetur *d. l. 5. in prin. ff. b. t.*
conventio enim dat legem contractui *l. 23. ff. de R. J.*

V I I I.

Regulariter tamen de casu fortuito (quia is in nullo contra-
etu præstatur) non tenetur commodatarius . *§. 2. inst. quib. mod.*
re contrah. oblig. l. 23. ff. de R. I. l. 6. cod. de pign. act. nisi vel casum
fortuitum in se suscepit . *l. 1. cod. b. t.* vel si culpa aut mora ca-
sum præcesserit . *§. 2. Inst. quibus modus re contrah. oblig. l. 23. ff.*
de

8 DISPUTATIO JURIDICA.

de verb. oblig. l. i. §. 4. ff. de oblig. & act. l. 5. §. 4. & 7. l. 13 ff. b.t.
aut si res aestimata commodata sit, & commodatarius in se suscepit estimationem l. 5. §. 1. ff. b. t. Interpretes dividunt casum fortuitum in *Solitum* & in *Solitum*, & qui casum fortuitum se prestiturum pactus est; eum de solito tantum teneri putant, nisi expresse de insolito casu actum sit: imo et si jurejurando pactum de casu fortuito simpliciter factum sit, pacientem tamen de insolito non teneri autumant, tum quod jusjurandum non augeat obligationem l. 5. §. 1. Cod. de ll. & deinde quia actus agentium non sunt extendendi ultra eorum intentionem, & certe hoc etiam non patitur natura pacti, patientem teneri ultra, quod promisit aut cogitavit, adde. l. 78. in fin. ff. de contrah. empt. l. 6. cod. de pign. act.

I X.

Cessat commodati actio directa multis casibus. (1.) si commodatum ex aliqua causa inutile sit, veluti si pupillo sine tutoris auctoritate aliquid commodatum sit, usque adeo, ut ne quidem tum commodati obligatio nascatur, si in re maxime fibi commodata pupillus dolum aut culpam admiserit. l. i. §. ultim. ff. b. t. (2) si damnum injuria alterius datum sit, l. 19. ff. b. t. l. 19. ff. locatil. 31. ff. de act. empt. (3) cessat, si damnum sine culpa commodatarii contigerit. l. 12. §. 1. l. 20. §. ultim. ff. b. t. v. gr. senectute aut morbo. l. 5. §. 4. l. 18. in prin. & §. ultim. ff. b. t. l. 1. §. 4. ff. de oblig. & act. (4.) si per eum, cui jussit commodator, remittatur res commodata & res perierit aut damnum contigerit. l. 21. §. 1. ff. b. t. aut si commodatarius per idoneum hominem rem commodatam remiserit. l. 20. ff. b. t. (5) si commodatarius usus est commodato in eam rem, in quam accepit. l. 10. in prin. ff. b. t. (6) cessat etiam, cum commodator ab alio suum consecutus est. l. 5. §. ultim. ff. b. t. aut alia actione suum recepit. l. 18. §. 1. l. 7. §. 1. ff. b. t. (7) cessat si liberatio legata sit. l. 8. §. ultim. ff. de liberat. leg. ultimo loco cessat hæc actio, si solus dolus (ut aliquando solet) praestandus sit: vel dolus & culpa, & citra dolum aut culpam damnum contigerit. l. 5. §. 10. l. 10. §. 1. ff. b. t.

X. Actio

Actio commodati contraria est actio personalis civilis, rei persecutoria, que datur commodatario adversus commodantem ad id ut servetur indemnitas. Competit hæc actio variis ex causis & quidem. (1.) ex eo quod commodator rei commodatae usum intempestive auferre velit: nam sicut voluntatis & officii magisquam necessitatis est commodare, ita modum commati finemque præscribere ejus est, qui beneficium tribuit. Cum autem id fecit (id est, postquam commodavit) tunc finem præscribere, & retro agere, atque intempestive usum commodatae rei auferre: non officium tantum impedit: sed & suscepcta obligatio. l. 17. §. 3. ff. b. t. (2.) si sciens rem vitiosam ignorantem commodavit, unde commodatarius damnum accepit, veluti vasa aut tigna l. 17. §. 3. in fin. l. 18. §. 3. ff. b. t. (3.) si commodator rem commodatam commodatario subripuit & in hilominus à commodatorio nesciente exegit, quanti sua intersit rem non restitui l. 21. in prin. ff. b. t. (4.) si commodatori prære commodata perditæ pretium sit solutum, isque rem eam postea receperit. l. 17. §. ultim. ff. b. t. (5.) si commodator codicem commodasset, ut in eo debitor caveret mihi, & post modum commodator chirographum debitoris deleat l. 5. §. 8. ff. b. t. datur hæc actio commodatario, ejusque heredi, cum sit ex contractu: filio quoque familias sed in factum sive utilis. l. 13. ff. de oblig. & att. datur etiam ei, qui in potestate commodatarium habet. prin. inst. per quas person. nobis acquir. oblig. datur adversus commodantem & ejus heredem. Admititur porro ad id ut servetur indemnitas. Petitur hac actione quicquid ex causis supradictis ei abest, cui res commodata est. II. supra allegat. petuntur etiam hac actione impensa necessaria & perpetua utilitatis causâ in rem commodatam factæ l. 18. §. 2. ff. b. t.

X I.

Non datur contrarium hoc commodati judicium ob impensas inutiles & superfluas vel modicas, veluti si equo servove

10 DISPUTATIO JURIDICA

commodato alimenta interim data sint , aut si alia modica impendia facta sint in valetudinem aut ad requirendum servum. *l. 18. §. 2. ff. b. t. l. 12. ff. de impens. in res dotal. fact.* modica impendia videntur esse , quæ minora sunt commodo ex re percep-to exemplo. *l. 1. §. ultim. ff. de pign. & hypoth. l. 30. §. 1. ff. de edi-ct. edict.* non datur etiam si quis ignorans rem vitiosam commo-davit , aut sciens scienti *l. 18. §. 3. l. 22. in fin. ff. b. t. l. 31. ff. de pign. act. l. 27. §. 7. ff. mandati.*

XII.

His omnibus itaque perspectis videamus in quibus commo-datum differat à mutuo , precario , locatione conductione à mu-tuo primo differt scilicet quia in eo transfertur dominium. *prin. inst. quibus modis re contrah. oblig.* *l. 2. §. 2. ff. de reb. cred.* non vero in commodato. *l. 8. cum l. seq. ff. h. t.* Secundo commoda-tum datur ad usum ; ideoque eadem res restitui debet : mutuum vero ad abusum ; ideoque sufficit tantudem restitui. *d. l. 2. in prin. ff. de reb. cred.* denique commodatum est contractus bonæ fidei , *l. 3. §. 2. ff. b. t. & arg. §. 28. inst. de att.* mutuum vero stricti Juris. *arg. §. 28. inst. de action. l. 6. junctal. 7. ff. de eo quod certo loco.* à precario etiam distinguitur : (1) quia commoda-tum ad certum usum & tempus conceditur ; ideoque necdum finito usu repeti nequit. *l. 17. §. 3. ff. h. t.* at precarium quando cunque libuerit , potest repeti. *l. 1. in prin. l. 2. §. 2. ff. de precario.* (2) in commodato dolus & omnis culpa regulariter præstatur. *l. 5. §. 2. ff. b. t.* in precario autem duntaxat dolus & culpa do-lo proxima , utpote quod totum ex liberalitate descendat ejus , qui precario concessit , & quando vult , repetere possit. *l. 8. §. 3. ff. de precario.* (3) commodatum est contractus nominatus , precarium innominatus. In aliquibus etiam non convenit hic contractus cum locatione conductione utpote quia commodatum est contractus re constans , locatio conductio consensu. *prin. inst. de oblig. qua ex consensu. l. 2. in prin. ff. de oblig. & act.* denique loca-tio conductio requirit mercedem. *l. 5. §. 12. ff. b. t.* at commo-datum.

I N A U G U R A L I S. II

datum' gratuitum est. §. 2. *infine inst. quibus modis re contrah.*
oblig.

X I I I.

Coronidis loco magna & difficilis venit quæstio , scilicet an in commodato locum habeat compensatio? quod mihi videtur affirmandum propter has rationes (1) quia in *l. fin. Cod. de compensat.* & §. 30. *inst. de action.* Justinianus regulam proponit , quod in omnibus actionibus , sive in rem fuerint , sive in personam & sive bonæfidei , sive stricti Juris , compensatio fieri possit: quapropter etiam in commodato locum habebit compensatio , nisi alicubi commodatum a prædicta regula expresse excipiatur, (2) quia in adductis locis Regulæ isti statim subjungitur exceptio actionis depositi , ita ut in quibusunque actionibus compensatio admittatur , deposito excepto , at exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis , & si Imperator commodati actionem æque à superiori regula exceptam voluisse , præculdubio perinde ut depositi actionem eam excepisset. & (3) quia particula Sola additur , quæ particula taxativa est & vim habet cætera universa excludendi præter ea , quæ expresse sunt inclusa. Sunt tamen , qui his rationibus non attentis , contrariam amplectuntur sententiam; suasetiam habentes rationes , quibus tamen satisfacere connabor acque hæc pro viribus dixisse sufficient.

A N N E X A.

I.
Fus accrescendi locum habet etiam inter verbis
conjunctos.

II.

Usucapio non pugnat cum omni æquitate.

Pericu-

00 835908.

III.

*Periculum rei venditæ & nondum traditæ pertinet
ad emptorem.*

I V.

Matrimonium non est contractus.

V.

Communis error populi non facit jus.

V I.

Mandator vulneris tenetur de cœde subsecuta.

V II.

In mutuo contingit alienatio.

V III.

*Princeps legibus Civilibus non naturalibus solutus
est.*

